



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 47. Matthias Huniadis Filius Rex Hungariæ renuntiatus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

## §. XLVII.

Sæcul. XV.  
A.C. 1458.*Matthias Huniadis Filius Rex Hungaricæ renuntiatus.*

In Hungaria major erat Competitorum numerus; Cum vero obsequiorum, quæ Huniades regno præstitit, in Hungarorum animis recens insculpta esset memoria, fere omnium suffragia in Matthiam ejusdem Filium conspirarunt. Equidem ille in Bohemia captivus detinebatur; verum Michael Zilagius ipsius avunculus, tanta dexteritate Procerum animos, quos Matthiæ propensos noverat, in cæpto studio firmavit, remque per suas tam industriæ, quam artis vires adeo prospere gessit, ut Matthias palam ab omnibus Hungariæ Rex proclamaretur. Præterea Joannes Cardinalis S. Angeli, qui olim apud Ladislaum Legatus Apostolicus in Bohemia erat, non solum omni studio contendit, ut liberaliter deprædicato Huniadis Patris merito Filii electionem promoveret, sed insuper, ut a vinculis absolveretur Matthias, apud Podiebracium haud segniore conatu intercessit, tam felici successu, ut Podiebracius, generosi animi sui specimen præbendi occasionem sibi gratulatus, Matthiam liberum dimiserit, ea tamen lege, ut affinitatem cum ipso ducta in uxorem

*Æn. Sylv.  
epist. 523.**Bonfin.  
3. dec. 9.*

Sæcul. XV. xorem ejus filia, pacisceretur. Cæptis  
A.C. 1458. consiliis collusit eventus; quippe Mat-  
 thias Hungariæ Rex renuntiatur, perso-  
 lutis Podiebracio in liberationis præmium  
 sexaginta aureorum millibus.

## §. XLVIII.

*Fridericus Imperator regni Bohemiæ  
 competitor.*

Fridericus Imperator coronam Bohemiæ  
 ad se devolutam affirmabat ex eo,  
 quod Ladislaus, cum pro illa debitum  
 Cæsari homagium solito ritu præstare  
 neglexisset, abs dubio hoc regnum jam-  
 jam vel sibi, vel suorum cuiquam vindica-  
 re voluerit. Casimirus quoque Ladislai  
 regnum sibi deberi contendebat, ratione  
 usus sat vero simili; dicebat enim, sibi  
 ultimi Regis Bohemiæ sororem fuisse de-  
 sponsatam. Eodem etiam, quin & po-  
 tiori successionis jure præferri postulabat  
 Guilielmus Saxonie Dux, cui alia Soror  
 natu major nupta erat. Nec minorem  
 coronæ spem Sigismundo, & Alberto  
 Austriæ Ducibus tribuebat antiquum fœ-  
 dus inter Bohemos, & Austriacos, vi cu-  
 jus alter alteri sine mascula sobole dece-  
 denti succederet.

## §. XLIX.